

SABBATO

De Martyrologio Quinto Idus Júnii.
Luna octava

Dies Pentecostes, quando Spiritus sanctus Hierosólymis super discipulos igneis linguis advénit. **N**oméni, in Sabínis, natalis sanctorum Mátyrum Primi et Feliciáni fratrum, sub Diocletiano et Maximiano Imperatoribus. Hi gloriosi Mátyres, cum longævam in Domino vitam duxissent, et nunc simul pária, nunc singillatim diversa et exquisita pertulissent torménta, ambo tandem felícis pugnae cursum, a Nomentáno Præside Promóto animadvérsi gládio, consummaverunt. Ipsorum autem Mátyrum corpóra, póstea Romam transláta, in Ecclesiá sancti Stéphaní Protomátyris, in monte Cælio, honorífice collocáta sunt. **A**génni, in Gállia, pássio sancti Vincéntii, Levitæ et Mátyris, qui, ob Christi fidem, verbénibus diríssime cæsus et gládio decollátus est. **A**pod Antiochiám sanctæ Pelágiae, Virginis et Mátyris, quam sancti Ambrósii et Joáannes Chrysostómus magnis éfferunt láudibus. **S**yracúsis, in Sicília, sancti Maximiani Episcopi, cuius sanctus Gregórius Papa sæpius méminit. **A**ndriæ, in Apúlia, sancti Richárdi, qui fuit primus ejúdem civitátis Episcopus, et miráculis cláruit. **I**n Ióna, Scótiæ insula, sancti Colúmbæ, Presbýteri et Abbátis. **E**déssæ, in Sýria, sancti Juliáni Mónachi, cujus præclára gesta sanctus Ephræm Dáconus scripsit.

¶ Et álbi aliórum plurimórum sanctorum Mátyrum et Confessorum, atque sanctárum Virginum. **R.** Deo grátias.

Ex Capite Septimo Regulæ Sancti Patri
Nostri Benedicti:
De Humilitate

Decimus humilitatis gradus est, si non sit facilis ac promptus in risu, quia scriptum est: *Stultus in risu exaltat vocem suam.*

¶ Tu autem Domine, miserere nobis.
R. Deo grátias.

DOMINICA

De Martyrologio Quarto Idus Júnii.
Luna nona

Sanctæ Margaritæ Viduæ, Scotórum Reginæ, quæ sextodécimo Kaléndas Decembris obdormívit in Dómino. **R**omæ, via Salária, pássio beati Getúlii, clarissimi et doctissimi viri, ac susceptórum e sancta uxóre Symphorósa beatórum septem fratrum Mátyrum patris, ejúsque Sociórum Cæreális, Amántii et Primitivi. Hi omnes, Hadriáni Imperatóris jussu, a Licínio Consulári tenti, primum cæsi sunt, deinde in cárcerem trusi; postrémum, incéndio trádicti, sed nullo modo ab igne læsi, mátyrium suum, fústibus illiso cápite, complevérent. Ipsórum autem corpóra Symphorósa, beati Getúlii uxor, collégit, et in arenário prædii sui honorífice sepelívit. **I**tem Romæ, via Aurélia, natalis sanctorum Basilidis, Trípodis, Mándalis et aliórum viginti Mátyrum, sub Imperátore Aureliáno et Urbis Præfecto Platóne. **N**eápoli, in Campánia, sancti Máximi, Episcopi et Mátyris; qui, ob strénuam Nicénæ fidei confessiónem, a Constantio Imperátore in exsilium pulsus, ibidem, ærúmnis confectus, decéssit. **P**rusæ, in Bithýnia, sancti Timóthei, Episcopi et Mátyris, qui, sub Juliáno Apóstata, cum Christum ejurare nolisset, idcirco, ipsius Imperatóris jussu, cápite abscíssus est. **C**olóniæ Agrippinæ sancti Maurini, Abbátis et Mátyris. **N**icomediæ sancti Zachariæ Mátyris. **I**n Hispánia sanctorum Mátyrum Crispuli et Restitúti. **I**n Africa sanctorum Mátyrum Arésii, Rogáti et aliórum quíndecim. **P**etræ, in Arábia, sancti Astérii Episcopi, qui, ob fidem catholicam, ab Ariánis multa passus et ab Imperátore Constantio in Africam relegátus est, ac tandem, in Ecclesiám suam restitútus, Conféssor gloriósus occubuit. **A**ntisiodóni sancti Censúrii Episcopi.

¶ Et álbi aliórum plurimórum sanctorum Mátyrum et Confessorum, atque sanctárum Virginum. **R.** Deo grátias.

Ex Capite Septimo Regulæ Sancti Patri
Nostri Benedicti:
De Humilitate

Undecimus humilitatis gradus est, si cum loquitur monachus, leniter et sine risu, humiliter cum gravitate, vel pauca verba et rationabilia loquatur, et non sit clamosus in voce; sicut scriptum est: *Sapiens verbis innoscit paucis.*

¶ Tu autem Domine, miserere nobis.
R. Deo grátias.

FERIA SECUNDA

De Martyrologio Tértio Idus Júnii.
Luna decima

Salamínæ, in Cypro, natalis sancti Barnabæ Apóstoli, qui, natióne Cýprius, cum Paulo Géntium Apóstolus a discipulis ordinátus, multas regiónes cum eo peragrávit, injúctum sibi opus Evangélicæ prædicatiónis exércens; postrémo, Cyprum profectus, ibi Apostolátum suum glorióso mátyrio decorávit. Ejus corpus, témpore Zenónis Imperatóris, ipso Barnaba revelánte, repértum est, una cum códice Evangélii sancti Matthæi, ejúdem Barnabæ manu descripto. **S**almánticæ, in Hispánia, item natalis sancti Joánnis a sancto Facúndo, ex Eremitárum sancti Augustíni Ordine, Confessoris; qui fidei zelo, sanctimónia vitæ ac miráculis cláruit. Ipsius autem festívitás sequénti die celebrátur. **A**quiléjæ pássio sanctorum Felícis et Fortunáti fratrum, qui, in persecutióne Diocletiani et Maximiani, equileo suspénsi, atque, ardéntibus lampádibus circa eórum látera appósitis et mox divína virtúte exstinctis, per ventrem fervénti oleo sunt perfúsi; et ad últimum, cum in Christi confessiône persisterent, gloriósi certáminis cursum, obtruncáti cápite, implevérent. **B**remæ natalis sancti Rembérty, Hamburgénsis ac Breménsis Episcopi. **T**arvisii sancti Parísii, civis Bononiénsis, Confessoris et Mónachi, ex Ordine Camaldulénsi. **R**omæ Translatiо sancti Gregórii Nazianzéni, Episcopi, Confessoris atque Ecclesiæ Doctóris; cujus sacrum corpus, e Constantinópoli ántea delátum ad Urbem, atque in Ecclesiá sanctæ Dei Genitricis ad Campum Mártium diu asservátum,

Gregórius Décimus tértius, Póntifex Máximus, in Capéllam, a se in Basilica sancti Petri magnificéntissime exornátam, summa celebritáte tránstulit, ac postrídne digno honóre sub altári cónclídit.

¶ Et álbi aliórum plurimórum sanctorum Mátyrum et Confessorum, atque sanctárum Virginum. **R.** Deo grátias.

Ex Capite Septimo Regulæ Sancti Patri
Nostri Benedicti:
De Humilitate

Duodecimus humilitatis gradus est, si non solum corde monachus, sed etiam ipso corpore humilitatem videntibus se semper indicet; id est, in opere Dei, in oratorio, in monasterio, in horto, in via, in agro, vel ubicumque, sedens, ambulans vel stans, inclinato sit semper capite, defixis in terram aspectibus, reum se omni hora de peccatis suis aestimans, jam se tremendo iudicio repræsentari aestimet; dicens sibi in corde semper illud quod publicanus ille evangelicus fixis in terram oculis dixit: *Domine, non sum dignus ego peccator levare oculos meos ad caelos;* et item cum propheta: *Incurvatus sum et humiliatus sum usquequaque.*

Ergo his omnibus humilitatis gradibus ascensis, monachus mox ad caritatem Dei perveniet illam quæ *perfecta foris mittit timorem*, per quam universa quæ prius non sine formidine observabat, absque ullo labore velut naturaliter ex consuetudine incipiet custodire: non jam timore gehennæ sed amore Christi, et consuetudine ipsa bona et delectatione virtutum. Quæ Dominus jam in operarium suum mundum a vitiiis et peccatis Spiritu Sancto dignabitur demonstrare.

¶ Tu autem Domine, miserere nobis.
R. Deo grátias.